

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

Meier, Gebhard Theodor

Helmstadii, 1696

§. XLVII.

urn:nbn:de:bsz:31-105465

data. Distinguendæ autem erunt istæ hypotheses in tres classes, quatenus nimirum concernunt, vel tempus ante regnum vel tempus in regno, vel tempus post regnum chiliaisticum.

XLVII. Sit ergo classis prima de hypothesibus Chiliastarum hodiernorum concernentibus tempora ANTE IPSUM REGNUM MILLENARIUM. Hic initio docent Christum M. annos ante ultimam mundi $\pi\alpha\nu\omicron\lambda\epsilon\theta\epsilon\iota\alpha\nu$ apparituum esse è cælo: Animadv. §. 29. verba sunt: *Unde tecum quidem nullum alium visibilem adventum ejus (Christi) credo, quam qui fiet, cum tubâ Dei & voce Archangeli de cælo descensurus est, judicium vivorum & mortuorum instituturus, quod ANTE M. ANNOS fore supra ostendi &c. & §. 26. Ante M. ANNOS (Regni chiliaistici) Christus descendet cum tubâ Dei, & voce Archangeli, resurgentibus mortuis in Christo: Post M. annos non descensurus est Christus, sed omnes ipsi sistentur mortui. --- Ante M. annos nondum sic elementa resolventur, uti elapsis illis fiet, ubi cælum & terra fugient, nec locum amplius invenient.* Atque hæc est ipsorum hypothesi prima, in quâ aperte contradicunt Assertioni nonæ, unde & in illius demonstratione cum illis fuit dimicandum.

XLVIII. Hypothesis secunda: Tum resurgent omnes fideles in Christo demortui, & quidem soli. Quod omnes fideles dicant esse suscitandos ante regnum millenarium, demonstratum supra jam est ex ipsorum scriptis. vid. num XVII. Quod autem præter pios neminem velint ad hanc resurrectionem admittere, quodq; particularis hæc resurrectio incidat juxtâ Chiliastas in adventum Christi, seu M. annos ante ultimam mundi $\pi\alpha\nu\omicron\lambda\epsilon\theta\epsilon\iota\alpha\nu$, discimus ex Animadv.